

EPISTOLA

tem Chymiae opus productum, in aliū quoq;
extrarium finem aptari queat, & vel me-
tallis transmutandis, vel principijs natu-
ræ constituendis, vel morbis persanam-
dis deseruiat: id tamen, quicquid erit, haud-
quaquam arti Chymicæ debebitur, sed Al-
chymiam attinebit, sed Physicam scientiā,
sed Medicinam. Non ergo Chymia, quā talis
est, Philosophiæ augustum nomen, non Phy-
sicæ nobile, non Medicinæ elegans sibi arro-
gabit unquam. Quin potius harum discipli-
narum serua & pedissequa intra suæ fortu-
næ limites se continebit, nec heræ stationem
inuadet, ne cum Scythis mancipijs in gyrum
obedientiæ, flagris tandem ab iratis dominis
compellatur. Hinc aut̄ clare elucescit quod
querebatur, naturalium principiorum do-
ctrinam Chymicæ occupationis minimè fu-
turā, sed alteri verius artifici, philosopho seu
physico committendam esse, quiq; secus agit
Chymia artem perperam cum Physica scien-
tia confundere. Quod fundamentum erro-
rum fuit maximorū: ut qui ne physici qui-
dem essent, nedum philosophi, horum tamen
ementito nomine abusi, ridicule personati,
fabulam philosophicam planè ineptè & in-
decore peragerent.

Restant